Licet S. hic Antistes cogeretur cum hominibus habere consortium; sæpissime latebat, ut orationi vacaret.

Sanctus hic Antistes perfectissime novit actionem cum contemplatione consociare, & nullus umquam Sanctorum tantam habuit cum hominibus, & Angelis consuetudinem: Nam uti primum poterat sese negotiis subtrahere, orationi vacabat, recipiebat a Deo quod largiri debebat populo suo, ac Moysis instar se transformans in monte, sancte sibimetipsi moriebatur, ut feliciter viveret J. C.. Sibimet identidem exhibebat duo præcipua Archipræsulis officia, prædicationem, & orationem: hac consulendum esse Deum, scrutandas illius intentiones, & perdiscenda ejusdem mysteria, atque consilia; altera vero populos esse ædificandos, rudes erudiendos, afflictos solatio afficiendos, & peccatores convertendos *Idem*.

Regere cœpit personâ, domumque suam; mox diœcesim suam summis laboribus reformavit quin exciperet magnos & parvos vel Ecclesiasticos.

Initium duxit a persona, ac domo sua, & utramque ita moderatus est, ut jam re adhuc integra esse posset prototypus & exemplar omnibus Præsulibus, omnibusque eorum familiis. Diœcesim vero suam tanto zelo, ac vi reformavit, ut neque sæculi, neque Ecclesiæ Principibus parceret. Res illi fuit cum Provinciæ illius moderatoribus, Proregibusque, qui arbitrabantur, corruptos mores corrigere idem esse ac sus, deque publicam evertere libertatem; sibi ille conflavit malorum Sacerdotum odia; & longe magis laborandum ei fuit in Ecclesiasticis, quam in sæcularibus refringendis. Verum cum illi compertum atque exploratum esset ex illorum reformatione illam etiam populi pendere; *Sicut Sacerdos, ita & populus*: tantam adhibuit curam, laboremque impendit, & tandem tantam lucem, & calorem immisit, ut clerus qui totius Italiæ flagitiosissimus erat, fieret omnium modestissimus, atque sanctissimus. Domus illius facta est Seminarium Episcoporum, Cardinalium, atque Pontificum: ibi exemplis suis præcipuos sæculi sui viros informavit, qui proficientes ex monitis ejus evaserunt nitidissima mundi luminaria. Sed dicamus, Auditores, pietatem illius nequaquam coarctatam fuisse in illius Diœcesi; industris enim amor ejus artem inspiravit illi, qua universæ proficeret Ecclesiæ, & in remotissimas licet Provincias doctrinam, & reformationem inferret. *P. Senault in eodem Panegyrico S. Caroli.*

Seipsum pro ovibus suis sacrificavit ac dies & noctes impendit, ut illis indigentibus ferret opē.

Postquam Episcopale solium ascendit, non aliam mentem habuit, quam ut se pro subditis suis sacrificaret, id unum quærebat, quomodo illis procuraret bona, quæ iis deerant, & ab illis ea amoveret mala, quæ illis impendebant. De civitate in civitatem migrabat pudibundos egenos quæsiturus, simul conciliabat eos, quos utilitatis ratio secreverat, dæmonibus eripiebat eos, quos error perverterat, & tanquam bonus Pastor montes, vallesque peragrabat ut quæreret oves, quæ vel perierant, vel deerraverant. *Idem*.

Ejusdem Argumenti.

Qui labori non parcebat pro peccatorum conversione, non parcebat opibus, ut pauperibus ferret opem. Illi persuasum erat, sibi nihil esse, quod ad Diœcesanos suos non pertineret; thesauros in arca recondere idem esse, ac ibi includere vitam miserorum, ac sibi vindicare ea, quæ divina Providentia ei ad aliorum dumtaxat salutem crediderat. *Cave ne intra loculos tuos includas salutem inopum, & tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum.* (*Ambr. l. de Offic. c. 16.*) Vixit, & obiit in exercitiis caritatis; & dicere possum quin aliis Præsulibus injurius sim, neminem fuisse, qui eo plura pro populo suo operatus, & passus fuerit. Sed quia ad hoc ut aliquis justus sit, esse oportet æque severum in se, ac lenem in alios. Ita profecto Sanctus hic Præsul se gessit, ut qui erga alios mitissimus erat, se sibi severissimum exhiberet. *Idem*.

Episcopi nomen oneris potius est, quam honoris.

Etiamsi Episcopatus eminens sit in Ecclesia dignitas, mihi videtur jure S. Gregorium dixisse hoc esse nomen oneris potius, quam honoris. Nam præterquam quod Episcopus semet sacrificare debet pro ovibus suis, easque præcedere debet, ut agat, ac tueatur, opus est ut seipsum perdat, illas salvas facturus, ut vitam suam in discrimine collocet, illas in tuto locaturus, ut objiciat se inediæ, sitisque periculo, illas inde erepturus. Neque enim sumus amplius in lege veteri, in qua Pastores alebantur lacte ovium suarum, earumque vellere induebantur: sed in lege nova, ubi ad exemplum J.C. Summi Pastoris animarum nostrarum Episcopi effundere debent sanguinem suum pro salute, ac victu ovium suarum; Opus est, ut ad illum imitandum sese objiciant omnibus periculis, quæ ovibus impendent, ac morientes sibi, afficiantur sensu malorum ovium suarum curæ suæ mandatarum. *Panegyricus Idem.*

Episcopi sunt mediatores inter homines, & Deum.

Licet Episcopi homines sint, tamen simul etiam sunt mediatores homines inter, & Deum; quoniam hujus sustinent auctoritatem, ejusque personam referunt in Ecclesia. Verum cum Deus gloriam suam ex nostra gloria percipiat, cumque illi ad gloriam cedat, quod nobis cedit ad utilitatem, permittit, ut Episcopi hominum negotia procurent, & ad thronum suum illorum caussam perorent. Et sane videtur præcipuum eorum munus esse divinæ sese objicere iracundiæ, de illius manu fulmina exculpere, cui si satisfacere nequeant, illum obtestari, & obsecrare, ut debitas peccatoribus pœnas in suum caput deflectant. Ita in cruce operatus est Jesus Christus; sciens enim hominum peccata nonnisi per mortem expiari posse, sese ad illam subeundam obtulit, ut eos liberaret: & oravit Patrem suum, ut illis parcens, in unum se pœnas detorqueret. Hac in re illum generose imitatus est Sanctus N. & licet summo flagraret zelo pro gloria Domini sui, tantam prætulit caritatem pro ovium suarum salute, ut quotiescumque Deus manum extulit ad eos perdendos, suum obtulerit caput ad evitandum vulnus, & mortem ipsam subire pro nocentibus maluerit, ut illos immunes præstaret. Cum hæresis omnes finitimas civitates, & oppida invasisset, & Deus æquissimam testatus esset iram suam ea pœna, qua interibant omnes, qui ab eo recesserant; mediator hic conspersus cinere, indutus cilicio, flagellis armatus, coram Deo prodiit & non secus ac Jesus Christus eorum peccata lavit in Sanguine suo. *Idem*.

Ejusdem argumenti.

Verum cum optime sciret Sanctus Noster Episcopos mediatores esse Deum inter, & homines, & his satisfaciendum esse alterius justitiæ, ut aliorum peccata expiarent; voluit ea in celebritate prodire tanquam pœnitens, vel publicum anathema; indutus est cilicio; cineribus aspersit caput suum, nudatis, cruentisque pedibus, fune ad collum alligato, & manibus funale tenens, objecit caput suum fulminibus Cæli, fusisque lacrimarum imbre genis Deum obtestatus est, ut vel se de hac eriperet vita, vel parceret populo suo: *Aut dimitte hanc noxam*, (*Exod. 32.*) dixit illi cum Moyse, *aut dele me de libro, quem scripsisti*. Nonne jure dicere possum, auditores, Magnum hunc Præsulem fuisse reconciliationem populi sui in tempore divinæ iracundiæ; sanguinem ipsius lacrimis admixtum delevisse peccata subditorum suorum, & gratiam illis obtinuisse, quia contempserat vitam suam: *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* (*Eccli. 44.*) *Idem*.

De Zelo quem habere debent Episcopi pro grege suo.

Super omnia opus est, ut Episcopi zelotes sint, potentes, pleni fortitudine, ac fervore, gloriam J.C. tueantur. Zelus est flamma caritatis; incendit omnes, quos animat; eosque paullatim absumens, facit victimas rei illius, quam amant. *Zelo zelatus sum*, inquit verus amator, *pro Domino exercituum*. (*1. Reg. 19.*) Zelus meus comedit me. Afficior injuriis, quæ Deo Israel inferuntur: & magis læsus contumeliis, quæ illi inferuntur, quam doloribus, quibus ipse torqueor, nisi illum ulciscor, zelo, & amore conficior. Zelus enim non urit solum, sed devorat, & quemadmodum ante dixi, ipsa etiam ossa pervadit, medullas exsiccat, & in cinerem redigit amatores, quos possidet. *Zelus domus tuæ comedit me*, (*Ps. 68.*) Zelus iste plerumque cum potentia conjunctus est, & iis, quos animat, vim, ac fortitudinem tribuit. Hinc S. Augustinus testatus est; sicuti amor gloriæ, & voluptatum strenuos efficit infideles; ita amorem Dei invictos fideles efficere. Minæ ac tormenta illos deterrere non possunt; Tyranni, & Carnifices eorum constantiam non labefactant: & quidquid excogitare crudelitas potest, illius auget constantiam, & amorem. Inquiunt enim; sumus infirmi, quia sumus peccatores; sed fortes sumus, quia diligimus; zelus nobis in necessitate robur immittit, & semper nobis certa adest victoria, quia semper præsto sumus moriendo. *P. Senault in Panegyrico S. Sulpicii.*

Sanctus hic secessit, ut lacrimis suæ, & omnia gregis sui elueret peccata.

Cum Magnus hic Sanctus præsertim secessisset, ut sese morti præpararet, amaris eluebat lacrimis peccata, quæ sui Diœcesani patraverant; putabat se redditurum esse rationem, si quid Ecclesiastici deliquissent; cum enim illos ad Ordines promovisset, sibi persuaserat futurum, ut ab ipso Deus rationem expeteret flagitiorum, & scelerum eorumdem. Conceptus hic dolor eliciebat crebro ex corde suspiria, ex ore questus, ex oculis lacrimas. Repetebat sæpe terribilia hæc verba: *Sanguinem eorum de manu vestra requiram*: Cumque sciret ovium jacturam esse Pastoris vel infortunium, vel crimen, Jesum obtestabatur, ne sibi accepta referretur earum calamitas. *Idem*.

Unus est Pastor bonus, qui J. C. est, cujus vices gerunt alii pastores.

Unum habemus bonum Pastorem, cujus omnes Pastores boni sunt membra. Hic est J. Christus; & quatenus boni Pastores, sunt, S. Ambrosius ait, Vicarii amoris, & caritatis ejus, non secus ac auctoritatis. Bonus Pastor respicit animas, quas regit, tanquam a J. C. redemptas; & quia amat Jesum Christum, amat eos, qui sunt J.C.. Quamobrem Salvator ter a S. Petro quæsivit: *Petre, amas me?* antequam illi diceret: *pasce oves meas*. Illas amat ita, ut si opus sit, sese objiciat pro earum salute; & si sibi vitam ipsam in necessitate putat impendendam pro iis, quæ sibi a Deo creditæ sunt: quomodo S. Gregorius ait, non partietur cum illis bonum quod habet, cum aliena indigeant ope? Nihil est, quod suum sit; quia ipse totus illarum est in Christo Jesu, & cum Apostolo dicit illis: *Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris*. (*1. Cor. 12. 15.*) *Tourneaux in anno Christiano. Tomo 6.*

Pastor mercenarius nō amat oves, nisi quatenus eis prodest.

Pastor mercenarius ille est, qui in Ecclesiastico Ministro, ea dumtaxat quærit, quæ sua sunt. Cum de lucro agitur referendo, tunc laboris nec piget, nec pœnitet; sed omnia deserit, ubi non invenit ultra honorem, aut quæstum quem petit. Etenim non amans Jesum Christum, neque amat illos, quos Jesus Christus proprio redemit sanguine. Videt lupum, & fugit. Persecutio terret illum, efficitque, ut deserat gregem; vel si manet cum illo, in hoc, S. Augustinus inquit, fugit illum, quia metus linguam ejus ligat, & prohibet, ne loquatur pro populo, aut pro veritate tuenda. Quicumque alia habet negotia quam J.C., par non est, qui sancte gregem regat J.C. *Idem*.

Veri Pastoris officiū.

Denique bonus Pastor animum appellit, ut suas oves cognoscat, & singulis prospiciat. Novit imbecilles, ut sustineat; ægras, ut curet; errantes, ut revocet; lapsas, ut relevet; mœstas, ut soletur. Novit omnes, & se præbet omnibus omnia, ut omnes salvas faciat. Eas autem hoc pacto cognoscere nequit, quin cognoscatur ab illis. Ex his indiciis quantum illi caræ sint vident, & hoc videntes illum amant, ejus obediunt voci; quia non loquitur nisi ut salvas faciat eas. *Idem*.

Sicuti

Ministri J. C. incumbere debent perfectioni singulorum fidelium componentium totale corpus Ecclesiæ, cujus sunt membra.

Sicuti corpus integrum tunc perfectum est cum membra singula peculiarem perfectionem assecuta sunt, J. C. Ministri ad totalem Ecclesiæ perfectionem tunc tantum incumbunt, cum operam navant in peculiari cujuslibet Fidelis perfectione. Primi Pastores efformarunt, ac perfecerunt prima membra Corporis Spiritualis C. Domini; successores eorum inceptum opus perennarunt, formantes, ac perficientes fideles temporum suorum; quod usque ad sæculorum finem vigebit. Hæc autem particularis singulorum fidelium perfectio in eo sita est, ut firmitatem habeat fidei, nullis tempestatibus concutiendam, S. Paulus ait, & hanc assequitur firmitatem, qui caritate veritatem exercent. Hoc illi tradere debent Christianis; & hic status est, quo adducere debent eos, quibus J. C. distribuit dona, quæ ad animarum salutem donantur. Ob hæc dona tumescere non debent, neque enim eadem habent ex se, neque pro se illa acceperunt. Inertes esse non decet, neque otiosa relinquere hæc dona, quibus aucti fuerunt, ut iisdem ad ædificationem, & perfectionem Corporis J. C. uterentur. *Annus Christianus. Tomo 6.*

Opus est Præsulem esse perfectum, ut digne obeat munus suū.

Si Episcopatus eminenter complectitur in se totam dignitatem, atque potentiam ordinum, & graduum Ecclesiæ, oportet etiam, ut Episcopus quodammodo possideat omnium statuum perfectionem. Apostolus autem addit per fidem placeri Deo: quia nemo sine illa Deo placere potest. Oportet ut Episcopus satis habeat fidei placiturus illi, a quo jugiter pro aliis misericordiam est deprecaturus. Unus Noe justus repertus est, cum omnis caro, ut loquitur Scriptura, viam suam corrupisset. Decrevit tunc Deus ostendere hominibus effectus iræ suæ, eosque universali aquarum eluvione delere. Sed justitia Noe Mundum cum Deo reconciliavit, & eripuit ex universo interitu Patriarcham illum, cum filiis, qui terram incolis repleverunt. Episcopus justus inveniri debet, ut Dei placare iracundiam, & cum Deo conciliare valeat peccatores. *Idem*.

Opus est ut Pontifex compati possit aliis miseriis eo quod & ipse illis obnoxius est.

Prima, quæ in Pontifice requiritur conditio, hæc est, ut ex hominibus desumptus sit. Noluit Deus Angelos ad hoc ministerium vocare. Cum Pontificis officium sit offerre Deo sacrificia pro hominibus, opus est, ut ille ipse homo sit, ut iisdem obnoxius infirmitatibus, quibus illi, pro quibus orare debet, facilius compati possit alienis lapsibus, in quos sive ex ignorantia, sive per errorem inciderit. Hoc vere invenitur in J. C. neque enim assumpsit ille naturam Angelicam, sed illam Filiorum Abrahæ; & quia illi ad quos liberandos veniebat induti erant carne, & sanguine, ipse quoque iisdem indui voluit, neque illos fratres suos erubuit nuncupare. Debuit ergo eorum similis esse in omnibus ut fieret apud Deum Pontifex misericors, & fidelis, ut populi peccata expiaret. Cum enim & ipse per tentationem probatus fuisset; iis posset succurrere, qui iisdem tentationibus probarentur, *Annus Christianus. Tomo 2.*

Quāta esset Caritas hujus Sancti Præsulis erga pauperes.

Ejus erga pauperes caritas eum magis magisque commendabat, & acceptiorem efficiebat. Cur nequeo vobis referre quidquid in eorum gratiam operatus est? Videbatur ingredi Nosocomia, & ibi ægrotantibus opem ferre. In cœtibus caritatis, quibus sæpe aderat, in pauperum tuguriis, quæ lætus obibat, in tota diœcesi sua, quam invisit, seu ut sartas tectas servaret domos, quæ sunt publicæ miseriæ perfugium, seu ut consuleret iis, quos, vel quas egestas nocentes efficere potuisset; verbo, pro omni necessitatum genere effundebat uberes eleemosynas, eleemosynas sapienter distributas, & minime vulgares. Non deerant illi etiam secretæ eleemosynæ, quas diligenter abscondebat oculis populi, ipsis etiam Aulicis suis; & quæ cognitæ non fuerunt nisi grati animi sensu eorum, quibus per obliquos euripos ferebat opem. Largitiones illius tales erant, ut intelligi minime posset ex quo fonte haurire posset, unde tot erogaret pecunias. Ita hæ quidem exhaustæ sunt, caritas autem non ita. *P. Candidus Chalippet Recollectus in Funebri Oratione Cardinalis de Mailly.*

Observantiam, & obedientiā debemus Pastoribus, & Doctoribus nostris.

Recordari, & imitari debemus virtutes doctorum nostrorum, qui obierunt; observare tenemur, & parere illis, qui vivunt. Hi a Deo constituti sunt, ut nos dirigant. Nos sumus grex, illi Pastores. Jesus Christus vult, nos revereri cathedram, in qua sedent, & auctoritatem, qua induti sunt, eo usque, ut faciamus, quod dicunt, tunc etiam cum abhorrere debemus ab iis, quæ faciunt. Non audiendi tantum sunt tanquam Doctores, sed illis subjectos esse nos decet tanquam iis, quibus jus est præcipiendi. Apostolus enim non dicit illis credendum esse, sed obediendum; & nihil nos ab hac obedientia dispensat, nisi cum illis obedientes, non obedire mus Deo. *Tourneaux in Anno Christiano. Tomo 12.*

De Pastorū vigilantia in populos suos, deque eruditione, quam illis debent.

Pastores vobis invigilare debent erudientes vos, & deducentes, sed eorum consilia vobis prodesse non poterunt, nisi dociles fueritis ad credendam veritatem, quam tradunt, & subjecti, ut pareatis iis, quæ vobis præcipiunt. Et hoc esse debetis ratione illorum, ut vobis invigilent hilariter, & non ægre, quod vobis nequaquam prodesset. Gravis est eorum sarcina; hanc leviorem efficite, curis eorum proficientes. Profectus enim vester totus ille fructus est, quem sibi vigiliarum suarum proponunt.

In steriles agros nolunt juga ferre juvenci.
Pingue solum vexat, sed juvat ipse labor.

Illi vobis præcipientes serviunt, in commodum vestrum illi præsunt; jactura vestra est, cum non recipiunt cum laborum suorum fructum, quem quærunt; quoniam hic eorum fructus non aliud est, quam salus nostra. *Ibidem*.

Pastores in lucro ponere debent talenta sibi a Deo tradita.

Servi illi duo, qui ex pecunia sibi a Domino credita duplum retulerunt, sunt fideles J. C. Ministri, qui illius tantum gloriam quærentes, nihil prætermittunt ut augeant gratias, quas receperunt; videlicet cum zelo operantur salutem fidelium, & nihil missum faciunt, ut placeant illi, qui dixit: Ecce vos ipse constituo, ut eatis, & fructum referatis. Hoc fecerunt Episcopi, in quorum diebus festis legendam proponit Ecclesia parabolam hanc. Apparebunt isti coram J. C. cum animabus, quas lucrati fuerint, onusti gloriosis manubiis, quas hosti eripuerint, & recipient tunc debitam sibi laudem, ac mercedem, quam promeriti fuerint; quoniam singulis eorum dicetur: *Serve bone, & fidelis*. Bone, quia fidelis fuisti, veni, ut recipias multum, pro modico, quod fecisti. Quantulum enim est quod Sancti facere possunt in comparatione gloriæ, & supremæ felicitatis qua donabuntur, & ineffabilis gaudii Domini sui, in quod ingressuri sunt, futuri participes regni Cælestis, eo quod non abnuerint in partem accedere laborum ipsius. *Tourneaux in Anno Christiano. Tomo 12.*

Ejusdem argumenti.

Qui autem abiens fodiit in terram pecuniam domini sui, quin illam in lucrum poneret, repræsentat illum, qui per inertiam, ac vaporem non adhibet in servitute J. C. & Ecclesiæ suæ talenta, quæ ab eo recepit. Nam sapientia, quæ se non communicat, Scriptura inquit, thesaurus est in terra absconditus. Deus non accendit lucernam, ut jaceat sub modio, quin totam illustret Domum iis luminibus, quæ ad id illi data fuerunt. Habere donum verbi, ac tacere; regendis aliis parem esse, & nullius curam velle suscipere; demum aliis prodesse posse, & sibi tantum vivere; hoc Evangelium vocat fodere pecuniam Domini. Et quoniam, ut S. Gregorius ait, ratio, quæ reddenda est, par erit acceptis; qui plura acceperint contremiscere debent, cogitantes illum, cui parum datum fuerit, non ideo minus damnatum iri, ut ignavum Evangelii servum, nisi impenderit hoc parum in quæstum illius, a quo parum illud accepit. Ita se gessit S. hic Pastor, qui locum habet exclamandi cum J. Christo: ecce, Domine, animæ omnes, quas tibi lucratus sum, & quas ex ore hostis exculpsi. Ex omnibus quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. *Annus Christianus. Tomo 12.*

Caritas hujus Sancti Præsulis in præveniendis Populorum necessitatibus.

Sancti hujus Præsulis Caritas omnium erat temporum, & locorum. Nullum umquam illi propositum fuit opus misericordiæ, quod non hilariter fuerit amplexus, & in quod large, effuseque opes suas non contulerit. Ipse immo diligenter percontabatur, & occurrebat necessitatibus. Quot familias aluit? Quot Ecclesiasticis Diœcesis suæ secretis subsidiis non profuit? Quot Catholici ad ipsum confugientes ejus liberalitatem experti non sunt? Num latet quomodo publice hospitalitatem exercuit in ædibus suis, mortalium non exiguo numero, cui manu propria ministrat? Putatisne Sanctum hunc Præsulem integerrimum, & caritate refertum formidaturum fuisse umquam terrenarum rerum jacturam, & in præliis pro Religione susceptis metu hoc examinandam fuisse? Una Caritas efficere potuisset, ut earum desiderio teneretur & animus, quem illi genus suum immittebat, & quem virtus roborabat, non minus Spiritu Religionis fuisset succensus. *P. Candidus Chalippet Recollectus in funebri Oratione Cardinalis de Mailly.*

Non ambitio, neque avaritia impellere debet Præsules in Aulam.

Magnus visus est Moyses coram Pharaone per ea prodigia, quæ coram hoc Principe operatus est. Deus enim dixerat Moysi futurum, se illum Deum Pharaonis esse effecturum. Episcopus dignitate sua supra Reges sublatus est, neque illam abjicere debet turpi ea servitute, quæ Principum aulæ subjicit ambitiosos, cupidosque præsules. Neque sese attollere debet per superbiam super legitimas Potestates, quibus illum subjicit Deus, non secus ac reliquos subditos, quoniam ipsius auctoritas mere spiritualis est. Sed semper magnus erit in oculis Principum, cum erit præditus virtute; cum de exercendis omnibus dignitatis suæ officiis erit sollicitus: neque relinquet gregem suum, ut Moyses in Aulam iturus, nisi ob explicitum Dei imperium, & Ecclesiæ suæ utilitatem. *Idem*,

Sacerdotes & Episcopi sunt Vicarii J. C. non successores.

Episcopi reipsa non sunt successores J. C. sed Vicarii & Ministri. Ille vivit, sed abest; hi in terra sunt, & ille in Cælo. Ille per seipsum offert in Cælo victimam, quæ in cruce oblata fuit, eamdemque offert in Cælo per ministros suos super terram in Missæ Sacrificio. Sacerdotes, & præsertim Episcopi ex D. Pauli sententia sunt dispensatores Mysteriorum ejus. J. C. regnum non minus æternum est, quam Sacerdotium, quod non prohibet quominus sint Reges in terris, quorum Ministerio populos gubernat. Deus est Judex æternus mortalium omnium, & nihilo secius vult hic etiam adesse Judices ejus indutos auctoritate, qui dicant jus; immo ille ipse dicit eorum ministerio. Jesus Christus per Sacerdotes offert. Ipse Ecclesiam suam per Pontifices regit. *Idem*.

Tenentur Præsules pascere gregem verbo Dei.

Divinitus demandata est Episcopis cura dispensandi Fidelibus cibum Cælestem verbi Dei, administrandi illis Sacramenta, & præbendi illis omnia necessaria subsidia ad salutem. Propter hanc escam, quam illis ministrare tenentur, Pastores appellati sunt. Et quia vitæ eorum debent invigilare, ideo Episcopi vocati sunt, quasi diceres, Inspectores, Procuratores. Humiles esse debent, fideles, & sapientes in ministerio suo. Humiles quia respiciuntur tanquam servi Dei. Electi sunt, inquit Scriptura, ut populos regant; numquam extollas te, sed esto inter illos tamquam unus ex illis. Servus aliis præpositus servis,

 non

non ideo minus est servus; non aliam habet in fratres suos auctoritatem, quam ut illos parere cogat communi Domino; & onus illi commissum aliorum necessitatibus consulendi, injicit illi aliam servitutem eo majorem, quo plures habet inferiores; quam ob rem primus omnium Episcoporum titulum sibi vindicavit Servi Servorum Dei. *Annus Christ. T. 2.*

Character bonorum Pastorum.

Non desunt Pastores, qui S. Paulo teste, animum appellunt ad Sanctorum perfectionem, ad officia ministerii sui obeunda, ad ædificationem Corporis J. C. hisque rebus vacant, quin sacrum Ministerium sit unquam interpolatum, donec occurramus omnes in unitatem ejusdem fidei, & cognitionis ejusdem Filii Dei donec perfecte efformetur in electis suis, quod nonnisi in sæculorum consummatione continget. Usque ad illud tempus non erit sæculum tenebrarum, quo veritas prorsus ignota sit, & quo J. C. ita obliviscatur nostri, ut non ultra loquatur ad nos. S. Paulus asserit, nunquam defuturos Pastores; Pastores has oves, quæ deeraverint in septa revocaturos, eisque semitam rectam ostensuros. *Annus Evangelicus Tomo 2.*

Lenitas, & Indulgentia Sancti hujus Præsulis in eos, qui defecerunt.

Sanctus hic Præsul non erat ex iis duris, ac superbis hominibus, spiritum dominationis præseferentibus, quem S. Petrus condemnat, qui clementiam ignorant, & quos quoddam feritatis genus inexorabiles efficit. Paterna caritate admonebat, & corripiebat eos, qui deliquerant, & tantam eorum, & Ecclesiastici status curam gerebat, ut illos in ædes suas accerseret eo tempore, quo noverat ministros, ac domesticos suos abesse, ut ad litteræ apicem adimpleret illud Evangelii verbum: *Corripe eum inter te, & ipsum solum.* (*Matth.* 18.) Non erat tamen ex eo genere hominum infirmorum, ac ignavorum, qui summum Sacerdotem Heli imitantur, quos Scriptura canes mutos, cæcasque vigilias appellat. Retundere noverat superbiam filiorum Levi, acriter coarguere, & severe animadvertere in eos, qui non merentur indulgentiam, quin rationem haberet ullam eorum qui Pharisæorum vitia superaverant, & qui inter fideles turbas ciebant. Firmus & constans nunquam in Doctrina nutavit, ac eo ipso tempore quo maxime usus est indulgentia propter Ecclesiam, liquet illum semper præsto fuisse, ut ad officium revocaret, & persequeretur quidquid non omnino esset subjectum. *P. Candidus Chalippet Recollectus in funebri oratione Cardinalis de Mailly.*

Sanctus hic insigne est exemplum ministris Ecclesiæ.

Sanctus hic unum est ex egregiis exemplis, ex quibus omnes Ecclesiæ ministri debent intelligere, nihil magis esse metuendum, quam onus Pastorale, beatum existimandum esse, qui vitam suam traducere potest, quin immane hoc deferat pondus; neminem nisi invitum, ut ita dicam, ingredi debere in Sanctuarium, & cum Deus nobis apertissima ostendit legitimæ vocationis indicia, quibus resistere criminosum esset. Illi qui ambiunt Ecclesiasticas dignitates, & qui sine tremore conspiciunt sublimiores Ecclesiæ gradus, accedunt visuri Sanctum virum; qui mentem suam nequeunt inducere ad excipiendum superioris officium, & qui se nimis arduum opus aggredi censent, ubi consentiunt se inter Ecclesiasticos recenseri. Quinam Sancti nostri tremor, ac trepidatio, cum a populo in Episcopum petitur? Ante opus est, ut in urbem se conferre cogatur. Tanquam summum deposcit beneficium, ut sibi liceat reverti in solitudinem, ut ubi innocua fruatur tranquillitate, æternas ibi veritates meditaturus, & austerissimas pœnitentias in semet exercitaturus. Omnes illum Episcopatu dignum testantur; ipse unus se profitetur indignum. Hoc vocatur veram habere ideam Episcopatus, illum cogitare tanquam gravissimam sarcinam hominis vires superantem; & quæ nonnisi cum singularibus gratiis deferri potest. Quas quidem gratias largitur Deus trepidantibus horrentibusque onus adeo grave, illudque solum excipientibus, quia displiceret Deo, cujus voci non obediret. *Annus Evangelicus Tomo 7.*

Quænam fuerit mens Dei Sanctum hunc ad Episcopalem dignitatem vocantis?

Deus igitur Sanctum hunc vocaverat. Elegit illum, ut repleret unum ex amplissimis locis Ecclesiæ suæ, ut nitens hoc lumen expositum oculis fidelium omnium, validissima esset ratio, qua excitarentur ad obeunda omnia munera sua, & ad exequenda fideliter omnia præcepta, quæ per Pastorem adeo sanctum illis data fuissent. Eo igitur attentius nobis considerandum est lumen hoc, quod se nostris oculis offert, quia videtur pro nobis peculiariter effecisse Deus, ut nobis colluceret: *Mementote præpositorum vestrorum*, ajebat S. Paulus: *qui vobis locuti sunt verbum Dei.* Mementote igitur, Auditores, & non obliviscamini cum idololatriæ tenebræ adhuc effusæ essent in satis magnam partem Europæ, Sanctum N. missum a Deo fuisse ad illas dissipandas, & illuc Evangelii veritatem afferendam. Hoc consilio instauravit Deus in illo magnas eas facultates, quas Apostolis suis communicaverat. Pauci sunt Sancti qui plura & magis authentica operati fuerint miracula quam Sanctus N. Cur autem illi contulit Deus has omnes facultates? Nempe ut ostenderet, illum a se mitti, ut disponeret discipulos Sancti hujus viri ad audienda cum docilitate verba vitæ, quæ illis nunciabat. *Annus Evangelicus Tomo 7.*

Pastor se totū sacrificare debet pro grege suo.

S. Joannes Chrysostomus hanc in rem perspicue aperit sententiam suam: asserit eum, cui demandata est cura ovium J. C. si unam ex illis interire passus fuerit, ovis amissæ rationem esse redditurum. Cogitate, inquit hic Doctor, quæ ultio, & quæ supplicia pastoribus sint metuenda, ubi sunt non solum in necessitate reddendi rationem de peccatis suis, verum etiam in periculo in æternos ignes ruendi propter peccata populi sui. Si hæc vera sunt, Pastores negligentes, num satis obiistis ea quæ ad vos spectant officia, cum sacra celebrastis mysteria, cum sollemnibus diebus aliquot horas impendistis, ut festinanter excipiatis confessiones ovium vestrarum, cum illos morituros extremis reficitis Sacramentis? Sed pueros erudire, Evangelica dogmata prædicare, peccatores cogere, ut a peccatis recedant, deerrantes oves conquirere, diffidentes conciliare, putatis hæc ad vestrum ministerium minime pertinere? Ostendet aliquando vobis Deus, ea quæ vestri muneris erant, & quid sibi velit, pascere oves ipsius. Ostendet vere Pastorem non esse, qui non totum se mancipat curæ gregis sui. Ex veritatibus, quas attigi, arguo, Pastorem non esse spectandum tanquam hominem juris sui, sed tanquam mancipium eorum omnium, qui illius indigent ope; atque felicem habendum esse, si gregi suo omne tempus, requiem omnem impenderit; & illum nunquam efficientius saluti suæ dare operam, quam cum vacat alienæ. *Lambert in Sermonibus de vita Ecclesiastica. Tomo 2.*

Constantia Sācti hujus Præsulis in tuēda unione in Ecclesia.

Quodnam principium agebat acriter adeo Sancti hujus Præsulis animum? Spiritus Religionis, Auditores, non alius. Eduxit ille gaudium spirituale, ut sese objiceret scissuræ, quam reformidabat: non secus ac Israelitæ cucurrerunt ad arma prohibituri, ne Tribus aliquot aberrarent. Quidquid a vobis petimus, dicebant illi his Tribubus, hoc unum est, videlicet ne secedatis a nobis. Hoc ipsum dicebat Sanctus hic Antistes apud indociles, atque ut poneret gladium non præstolabatur aliud quam responsum æque sincerum ac illud Tribuum, de quarum fide oborta erat suspicio. Tulit ille quidem rigidas sententias per Jesu Christi potentiam, ut olim S. Paulus, sed non aliud illi versabatur animo, quam salvare animas, & membra bene valentia a putrescente ulcere præservare. Allocutus est ille Præsules illustres Confratres suos, sed ut tanquam Moyses se conjungeret cum illis omnibus qui erant Domini, neque abnuit cum Rebellibus communicare, nisi quatenus verebatur, ne se objiceret terribilibus minis, quas Dei Filius in Apocalypsi intentat piis Episcopis, ea tantum de caussa, quia in Ecclesiis suis tolerabant viros, & mulieres, quæ erroneam doctrinam profitebantur: *Pater Candidus Chalippet Recollectus in funebri Oratione Cardinalis de Mally.*

Character Pastoris boni, & mercenarii.

Bonus, & verus Pastor actus Spiritu J. C. per se assumit quidquid severitatis habet Christiana morum disciplina, ovibusque suis reservat quidquid habet indulgentiæ, caritatis, lenitatis. Ipse ad unguem incipit exercere, quod traditurus est ovibus suis. Quin exasperet officia satis aliunde austera, quæ a fratribus suis exigere debet, mallet potius in eorum gratiam legitima invenire lenimenta legis in ipsa lege: aliis eam tantum imponit necessitatem, a qua citra prævaricationem dispensare non potest, nec aliis imponit, quod ipse solus gestare non potest. Malus autem Pastor econtra nullam in Evangelio cognoscit indulgentiam, nisi pro se; cupidus, ignavus, iners, sensibus suis addictus, exuit oves suas, illas inutilibus laboribus, atque indiscretis mortificationibus obruit. Consilia in præcepta illis commutat, totaque ejus sanctitas in eo sita est, ut alii ne latum quidem unguem a regula secedant. Qui vero intueretur macerationes, & austeritates, quibus infirmiores opprimit, diceret, penes illum jus esse per inflictas aliis piaculares pœnas propria peccata expiandi. Ex his characteribus cognoscite hypocritas, & eorum facta evitantes vobismetipsis cavete ab æquissimo anathemate, quo Jesus Christus eos percellit. *Ex libro cui titulus Moralis novi Testamenti per P. la Neuville Tomo 4.*

Tenetur Ecclesia vim facere, ut Sanctus hic vir Episcopatum accipiat.

Sanctus N. diu summum renuit Pontificatum, neque illum accepit, nisi postquam Ecclesia sanctam vim in eumdem exercuit: *Non ut quidam, vim fecit, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus acciperet.* (*Cyprian. Epist.* 52.) Audite Pontifices, audite populi, qui eligitis, vel qui ordinatis Episcopos. Eligendus est ille, qui vocatus renuit, & conquisitus latebras quærit. En quid dicat Carolus Magnus, qui præ ceteris Principibus Ecclesiæ rebus studuit: *Profecto indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Episcopi electio suspicione non vacat, cum vim sibi fieri non expectat. *Panegyricus Sancti Mathiæ P. Senault. Tomo 1.*

Qui ambiūt directe vel indirecte beneficia indigni sūt sacerdotali dignitate.

Si verum est Sacerdotio, & Episcopatu indignum esse, qui non invitus illud assequitur, quis jactare potest se rite electum esse eo tempore, quo ambiuntur beneficia, quo nihil festinantius, ac turpius requiritur quam Ecclesiasticæ dignitates, quo Principum virorum favor captatur ad illas obtinendas, & quo obsidentur Ministri ad eas per assiduas importunitates extorquendas? Discite ab Ecclesia Matre vestra, eos, qui cupiunt beneficia, nocentes esse coram Deo, eos qui illa petunt, nocentes esse coram hominibus, & eos, qui per alios petunt, alios secum habere velle nocentes. Neque in medium afferatis illa S. Pauli verba ad excusandam ambitionis vestræ injustitiam; *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* (*1. ad Timoth.* 3.) Nam præterquamquod Episcopatus optari poterat eo tempore, quo illi adnexum erat Martyrium secundum S. Gregorii Magni sententiam: *Tunc laudabile fuit Episcopatum quærere, quando qui plebibus præerat primus ad Martyrii tormenta ducebatur.* (*In secunda parte Pastoralis c.* 8.) Quis nescit, simulac Apostolus in nobis desiderium accendit, omnem spem nobis abstulisse, & ubi præclaras illius nobis dotes descripsit, ut nos alliceret, præsentasse etiam pericula, ut nos deterreret? Si Episcopatum respicitis, Episcopi qualitates considerate; & si primi illius vos nitor perstringit, alterius vos terreant conditiones. Apostolus vult Episcopum

pum esse irreprehensibilem. *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem.* Est ne aliquid in persona tua reprehendendum? ita ne perfectus es, ut omni non labe solum, verum etiam suspicione careas? *Sobrium.* Es ne sobrius tu, cujus Deus venter est, qui gloriam tuam in esca, & potu constituis, & qui ideo ambis beneficia, ut mensæ tuæ ampliores sumptus efficias? *Pudicum.* Castus es? qui semper in cœtu mulierum versaris, & qui eas sequeris ad Theatrum, qui eas ne in Templis quoque deseris, ut Dei Filius qui residet in Altari, testis sit impudicitiæ tuæ, & in furore iracundiæ suæ tibi dicere possit: *Etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo mea? Prudentem.* (*Esther c.* 7.) An prudens es qui tuam lædis existimationem, atque conscientiam, ut constituas fortunas tuas, qui præfers terram Cælo, & qui te præbes mancipium nobilium, ut fias Episcopus populorum? *Ornatum.* Numquid ornatus es virtutibus, ut Apostolus exigit; & habes ornatus interiores, qui animam Deo jucundam efficiunt; tu qui comptior es mulieribus, omnemque locas operam in cæsarie capillamistris colenda, & negligis animam tuam, quæ est Creatoris imago? *Doctorem.* Denique Doctores, qui nunquam Sacra legisti Biblia, qui ex nomine tantum cognoscis Ecclesiæ Patres, & qui Sanctum Paulum contemnens de Cathedra veritatis loqueris tantum de Seneca, vel Aristotele? Ex toto hoc sermone disce, quandoquidem nullam habes Episcopi qualitatem, te citra injustitiam minime posse ad Episcopatum anhelare, at te anhelantem eamdem dignitatem, quam non mereris, te tuum dedecus, tuamque perniciem conquirere. *P. Senault in Panegyrico S. Matthiæ. Tomo 1.*

Episcopis bella pro Religione sunt dimicanda.

Verum est, Episcopis dimicandum esse pro Religione. Hi sunt vigiles positi in excubiis super muros Jerusalem, quibus neque interdiu, neque noctu tacendum est. Sunt magni Sacerdotes Domini, & doctores exercituum ejus, qui ut olim Judas Machabæus acceperunt Sanctum gladium ad evertendos inimicos populi Dei, & Levitæ sub eorum auctoritate in prælii partem descendunt. Horum conatus sustinet Principum potestas, a quibus Ecclesia jus habet petendi suppetias, & quas digne petit per Pontificis summi verba ad Regem. *Præliare, dilectissime Fili, præliare una nobiscum pro Domini caussa tuenda: & vi brachii tui coge inimicos, ut ad officium redeant, qui recesserunt a nobis, & qui tam manifesta præbuerunt pertinaciæ suæ documenta.* Vos autem, Auditores, cogitatis ne inutiles esse Sanctorum horum præliorum spectatores? Nonne vobis etiam dimicandum est pro Religione, palam illius negotium, & gloriam procurantes, ac publice profitentes, vos Cathedræ S. Petri, & Corpori primorum Pastorum inhærere, sedulo evitantes nexus, & lectiones, quæ fidei vestræ integritatem valent corrumpere, vestra utentes auctoritate ad infringendos pravos sermones, elevantes manus vestras adinstar Moysis, & offerentes Deo sacrificium vestrorum operum bonorum, ut illius benedictionem super labores Sacrorum Ministrorum detrahatis? Ita vos decertare & licet, & decet quin vinci metuatis: quippe Religio efficit semper, ut triumphent illi, qui pro ipsa dimicant, cujus rei documento esse potest Sanctus noster Antistes. Hic in prælio fortitudine plenus, simulque visus est in triumpho cumulatus gloria. *P. Candidus Chalippet in funebri Oratione Cardinalis de Mailly.*

Pastor seipsum respicere debet tanquā patrem populorum suorū inque ōia spiritualia, ac temporalia bona procurare, quibus indigent.

Ecclesiæ Minister non solum Pastor, sed & Paterfamilias est. Hujus autem curam gerat. 1. Sese accommodet prudenter necessitatibus componentium illam. 2. Ne quærat de eorum substantiis saginari. 3. Nullam ex officii sui partibus negligat, aut contemnat. 4. Omnes, & singulos peramanter excipiat, nunquam utens cum illis severitate, nisi prius lenitate nihil proficiat. Quod scandalum, & quæ calamitas Ecclesiæ tuæ Deus! Si qui illi nomine tuo præsunt abjicientes viscera caritatis erga filios tuos præferant superbum Domini titulum suavissimæ qualitati Pastoris, & Patris! *Ex Morali Patris la Neuville. Tomo 4.*

Quid faciendū Pastoribus tāquam cælestis Patris familias œconomis.

Domestici Patrisfamilias generatim sunt omnes Christiani, quibus ille contentus est, dummodo sibimet invigilent. Ejus Œconomi sunt Pastores, & illi omnes, qui aliquam habent in Ecclesia auctoritatem. Neque satis est his vigilare, ne ipsi incidant in manus inimici; debent etiam esse *fideles, & sapientes.* 1. Fideles erga Deum, quem vereri debent, cujus negotia, & gloriam debent procurare cum ardore, firmitate, constantia, etiam cum jactura quietis, libertatis, & vitæ, 2. Sapientes autem erga populum Dei, quem adducere debent in vias salutis publicis, privatisque eruditionibus. Fidelitas, & sapientia Pastoris petit, ne quis in eo tantum quod necessarium est immoretur; sed ne quid omittat eorum quæ utilia esse possunt ad perfectionem ovium suarum; ne quid illis abscondat omnium veritatum, quibus capiendis sunt pares, sed illis annuntiet Moralem Jesu Christi disciplinam quoad late patet, investiget Dei ipsius de ovibus suis consilia, ad ea detegenda illis præstet opem, & ad illa fideliter perficienda suadeat, hortetur, inflammet. Væ igitur Superioribus, ac directoribus ignavis, cupidis, inertibus, quorum vitio animæ illis concreditæ aliquod ex officiis suis ignoraverint. Hujus ignorantiæ rationem erunt reddituri. *Idem.*

Pastor pascere debet gregem suū quatenus Pater spiritualis, & temporalis.

Pastor pascere debet gregem suum, quatenus pater filiorum suorum. Tu hac duplici indutus es qualitate erga eos omnes, quos Providentia curæ tuæ credidit; sedulo igitur hoc munus adimple. Frange omnibus panem verbi: hoc quidem nonnullis satis est, sed non desunt alii, quibus debes præterea panem magis physicum. Hæc duplex esca tibi duplex injicit munus; quorum alterum nequaquam minus est altero necessarium. Primum ex plebis per eruditionem, altero autem nonnisi per eleemosynam defungi vales, quæ etiam par esse debet. 1. Facultati tuæ. 2. Alienæ egestati. Visne in re adeo delicata scire quousque sese tua extendant officia? dicam. Cum Pastor cujuscunque tandem ille ordinis esse potuit, secundum Mundum, sibi sumpsit, quod necesse est secundum leges frugalitatis, & christianæ modestiæ, ut decenter vivat eo in statu, in quo illum constituit Ecclesia, ea quæ superant proculdubio ad pauperes spectant. Aliter cogitare, falli est. Aliter de bonis suis disponere, interire est. O Deus illumina quæso hac in re mentem ministrorum tuorum, sed præsertim inflamma cor, illud tua replens Caritate. *Ex libro cui titulus. Moralis novi Testamenti Patris la Neuville. Tomo 4.*

Pastor semper sibi cavere debet, & gregem suum regere sapienter.

Pastor debet semper esse vigilans, & expectare Dominum suum; ubi cesset, similis est malo œconomo, qui sibi persuadet herum suum abesse, & diu absfuturum. Hæc est omnium criminum caussa, 1. Abuti per superbiam spirituali auctoritate sua. 2. Negligere per ignaviam officia sua magis essentialia. 3. Superbe, duriuscule & per impotentiam regere eos, quibus præest, 4. Amare, quærere, sibique procurare omnes vitæ voluptates. 5. Affectare præ ceteris enitescere & intumescere propter honores suæ delatos dignitati. Hæc sunt, dicit S. Hilarius, (*Comment. in Matth. c.* 26.) mala, in quæ certissime ruit Pastor, qui solet Dei judicium respicere, tanquam maxime dissitum, & qui diuturnam sibi vitam pollicetur. Bone Deus! quam facile est in hanc incidere illusionem! E contra vero quam arduum est ab eadem sibi omnino præcavere! *Ibidem.*

Væ populis duces cæcos habentibus, eorumque exempla sequi cupientibus.

Populus infelix, qui pro duce cæcos habet! Et longe infelicior, si illos illuminatos credit! Miseri duces! Sed longe miseriores si amaverint cæcitatem suam, ac lumini prætulerint tenebras! Malum ipsorum omni prorsus caret medicina, & inevitabilis pernicies eorum, quibus se duces præbent. Non potest Deus terribilius nobis ostendere signum iræ suæ, adversus familiam, Ecclesiam, Communitatem, quam cum illi ducem præficit vel seductorem, vel seductum. Quod scandalum, quæso, gignet corpori universo, cui præest, nisi infirmæ, ac nimis credulæ oves tandem aperiant oculos, & videant periculosi ducis hujus imperitiam, præsumptionem, atque nequitiam? Ne credas, Domine oves tuas nisi Pastoribus satis oculatis, ut detegant præcipites gressus, quibus septæ sunt; satis strenuos, & fortes, ut illas avertant, licet natura ipsa, & animi propensione eo ferantur. *Ibidem.*

Quænam esse debeat caritas Pastorum in populos?

Amor proprius efficit, ut ad vivum sentiamus mala nostra; caritas autem facit, ut malis fratrum nostrorum magis, magisque afficiamur. Hæc medicinam sollicite inquirit, eamque a Deo humiliter petit. Pastor, qui agnoscit spiritum J. C. & eodem repletus est, sincere amat gregem suum, respicit tanquam filios suos eos omnes, qui componunt illum. Paternus amor pro illis loquitur incessanter: tanquam sibimet factum putat, quidquid boni accidit ovibus suis; eorum infirmitatem indulgenter excusat; earum vitia patienter tolerat, earum errores leniter corrigit; in gaudii ipsarum partem accedit, earum dolore dolet, omnibusque necessitatibus consulit. Itane vos geritis cum iis, quos Deus curis vestris subjecit? Si pro illis minus foves sensus hujusmodi, jam non es verus pastor; ad summum pastor es mercenarius adhærens gregi non teneris quidem caritatis amplexibus, sed duris vinculis cupiditatis. *Idem.*

Obices, qui prohibent ne Ecclesiæ ministri peccatoribus afferant medicinā.

Modicum fidei, & caritatis, vel defectus attentionis in Ecclesiæ ministris sæpe soli obices sunt, qui peccatorum saluti adversantur. Hoc his quidem grave malum est, sed longe gravissimum illis, ac terribile argumentum judicii. Sola in superiore inertia crimen est, quod sufficit illius damnationi. Propheta non aliud objicit crimen calamitosis hisce Pastoribus domus Israel, qui a Domino damnati fuerant, nisi quia oves suas negligebant: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis.* (*Ezechil.* 34.4.) Hæc reprobationis illorum caussa est: nonne igitur & nostræ caussa erit? Sunt animæ morbi, qui Apostolorum ministerio curantur; sunt quos curat solus J. Christus: hi sunt affectus quidam vitiosi, & inveterati. In hoc igitur statu ad illum confugite liberandi. Sed opus est, ut ad illum vos adducat humilitas, oratio, mortificatio, fiducia. *Idem.*

S. Petrus exemplo esse debet aliis Pastoribus.

Quemadmodum S. Petrus futurus erat Ecclesiæ caput, voluit illum, & cum illo reliquos Pastores docere quomodo pati deberent infirmitatem eorum, quibus erant præficiendi, neque obstupescere propter lapsus illorum, sed cum lenitate eos relevare, eisque parcere cum caritate cogitantes in quæ mala ipsi etiam ruere possent. Si Petrus non peccasset, zelus ejus pro fidelitate, quam debebat Deo, nimis acer, ac violentus fuisset. Non cogitasset humani cordis imbecillitatem, quod oblivisci potest officiorum omnium. Horum officiorum justitiam solum respexisset, & horrorem ingratitudinis a subditis contra Regem, a captivis redemptis contra redemptorem suum, & a filiis contra Patrem suum perpetratæ: Alii pastores sibi imitandam esse illius severitatem credidissent; & sicuti peccatorum numerus major est, quam justorum, rebelles occalluissent in defectione sua, ubi pœnitentiæ januam sibi interclusam, vidissent. *Godeau. In elogiis Episcoporum in S. Petri elogio.*

Jesus ex S. Petro ac successoribus ejus petit magnum erga se amorem, qui complectitur ceteras conditiones Pastori necessarias.

Jesus a S. Petro magnum petit amorem, quia illum constituere vult in loco, ubi ille maximis erat laboribus exercendus. Jesus non interrogat illum de luminibus mentis ejus, non de scientia, prudentia, constantia, patientia, non denique de temperantia, justitia, puritate, quæ virtutes sunt in Pastore necessariæ. Quærit tantum ab eo, utrum ille ipsum amaret præ omnibus sodalibus suis. Amor enim complectitur reliquas omnes conditiones, quas Pastoris munus requirit. Qui enim amat J. C. amat Ecclesiam illius, sponsus enim amari non potest, nisi ametur & Sponsa. Itaque cum illam nactus esset fœdam, prostitutam, atque infidelem, effudit sanguinem suum ad abstergendas omnes illius maculas, ad tollendas rugas, eamque formosam, omnibusque dotibus absolutam efficiendam. Pastor, qui gregem suum amat, non solum in eo omnem impendit spiritum, curam, scientiam, experientiam, tempus: sed prodigit etiam valetudinem, & vitam suam, ut illum pascat, agat, tueatur, quæ tria sunt officia pastoris. Diligite ergo pastorem summum, subalterni pastores, & amabitis oves vestras sicuti amandæ sunt, eritisque illis duces fideles, strenui defensores, prudentes nutritii, teneri, verique Patres. Ita conquiretis deerrantes in septa reducturi. Ita non fatigabimini præbituri illis escam verbi, & & escam earum infirmitati congruentem; & quæ illas nutriat, non quæ delectet, quæ earum bonam servet valetudinem, non quæ earum gustui satisfaciat. Ita illas mundabitis, quæ se coinquinant; ita alligabitis vulnera earum, quæ sunt sauciæ, quin earum vulnera horreatis. Ita in vitam revocabitis, quæ mortuæ sunt. Ita vita earum gloriosum fiet vestræ dilectionis trophæum. Ita amor vester omnia cum diligentia, sapientia, pace, & gaudio procurabit. Ita digni eritis nomine, & honore vestro, qui ille ipse est, ac Filii Dei. *Idem.*

Sanctus N. adlaboravit ut impugnaret Ethnicos eosque confunderet.

Sanctus hic vir adlaboravit, ut emundaret gregem J. C., plures annos antequam illum duceret. Ethnici resistere non poterant vi verborum illius. Philosophia illi cedebat arma: quocumque acumine contra hunc illa disputaret, semper superata rubore suffundebatur. Sectas omnes æque pudebat. Vario armorum genere cum illis certabat; sed ubique similis erat victoria. Populi victos iis se videbant argumentis, quibus sibi utendum esse arbitrabantur ut vincerent; & doctrinæ illius nihil opponere poterant nisi pertinaciam, & cæcitatem suam. Ubi se in Petri Cathedra conspexit, sibi magnum hoc exemplar proposuit ad imitandum. Succedens illius dignitati, voluit etiam illius zelo, & caritati succedere. Quid illum facere non coegit hic zelus? Quid hic amor non peperit? Nihil illi erat molestum, nihil supra vires eximii hujus Pastoris. Interdiu noctuque laborabat, ut gregem quem coegerat, pasceret, eumque novarum ovium accessione augeret: bene valentes alebat pabulo verbi Evangelici, earumque bonam valetudinem roborabat. Curabat ægrotantes, & non horrebat putridissima earum ulcera. Errantes conquirebat, vel prohibebat, ne errarent. Infirmitati debilium semet accommodabat: insolentium vim strenue coercebat. Denique se omnia omnibus præbebat, ut omnes Christo lucrifaceret. Dæmon in illum quotidie ciebat sexcentos fere obices; sed cum difficultatibus, calumniis, injuriis, contumeliis illius fortitudo crescebat. Carcer, fames, sitis, paupertas erant illi in deliciis. Cum infernus se illum stravisse putabat, tunc se victum, prostratumque videbat. *Idem.*

Ecclesia tanto indigebat Pastore, qui illam regeret, & tueretur.

Ut Ecclesiæ navis regeretur inter fluctuum, quibus agitabatur, æstum, opus erat gubernatore æque callido, & strenuo, qualis fuit Sanctus N. Zelus illus æque fuit sapiens, & ardens. Non expavit persecutionem; neque ulli in occasione illi cessit; verum neque provocavit illam per imprudentiam. Veritatem propugnavit, sed ita ut nullam ei conflaret invidiam. Fortis fuit, non pervicax; Severitatem habuit religiosam, non acrem superbiam. Nulla in re sibi pepercit; aliis vero compatiebatur. Oves suas gerebat in corde, ut afferret illas in cor J. C.. Præsules omnes tanquam Magistrum suum consulebant, & tanquam Patrem colebant. Ubi aliqua difficultas incidisset, ejus responsa ab illis tanquam oracula habebantur. Hac autem utebatur auctoritate, cum de Ecclesiarum tranquillitate agebatur. Post tot initas pro Evangelii defensione pugnas, voluit Martyrii coronam. Confirmavit mortis suæ constantia adhortationes, quas ovibus suis proposuerat de morte alacriter, constanterque subeunda ob tuendam Supremi pastoris gloriam. Præbuit illis exemplum fidelitatis ab ipsis observandæ, & signavit sanguine suo veritates, quas iis prædicaverat. Memoria ejus sancta fuit in Ecclesia, quæ illum ad hodiernam usque diem tanquam unum ex illustrioribus Præsulibus veneratur. *Elogium Sancti Irenæi Domini Godeau in libro cui titulus, Episcoporum elogia.*

Sanctus hic Præsul habebat omnes necessarias dotes, ut digne Pontificis munus obiret.

Post insignia humilitatis documenta, quæ Sanctus hic Præsul ediderat, dubitandum non erat, utrum dignitas Episcopalis illi superbiæ sensus immitteret. Nimis procul aberat a laqueis, quos illi Mundus nectere poterat, ut incidere posset in Dæmonis laqueos: e contra illi objici non poterat infensior inimicus. Non deerat illi scientia, ut illum confunderet; non eloquentia, ut impugnaret; non sapientia, ut vinceret; non fortitudo, ut de eo triumpharet. Sed quid dico? Illum jam vicerat: omnibus pompis ejus jam abrenuntiaverat; cum se in statum adduxerat, ubi illum jam metuere non posset. Exempla jam prædicationi præcesserant. Pauperior erat iis, quibus paupertatis amorem prædicaturus erat. Sæculi honoribus se abdicaverat antequam aliis eorum persuaderet contemptum. Cruci jam adhæserat, antequam de Jesu Crucifixo loqueretur. Longius processerat, quam alios vellet adducere. Epotarat fæces Calicis, quem aliis delibandum tantummodo porrigebat. Denique difficillima Evangelii consilia exercuerat, antequam doceret præcepta. Attamen, ubi populi consilium perspexit, se conjecit in latebras. Adeo plena erat illi cognitio Sanctitatis, quam Sacerdotium postulat, ut se hoc dignum existimare non posset. Contremuit, & expavit ad intuitum Cathedræ, quæ illum super fratres attollens per dignitatem, exigebat, ut super illos magis, magisque per virtutem se attolleret. *Idem in elogio S. Cypriani.*

Ratio habenda ab Episcopis erga eos, qui adversus Ecclesiæ auctoritatem rebelles sunt.

Quamcumque severitatem adhibere teneantur Episcopi, ut illos impugnent, qui fidei puritatem corrumpunt, & contra Ecclesiæ auctoritatem rebellant; opus tamen est, ut pati sciant, & in summo zeli sui æstu semper patientiam nullis perturbandam tumultibus tueantur. *Prædica verbum*, dicebat S. Paulus Timotheo discipulo suo, *insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia*. Et Sanctus hic Apostolus Apostolatus sui gloriam constituebat tam in magna patientia, quam præsetulerat semper, quam in miraculis, quæ fuerat operatus. Fatebimini, Auditores, Præsulem cujus admirati estis certamina, non minus patientem, quam fortem extitisse, & hunc primum illius triumphum fuisse. Quam durum est Præsuli oppositionem, ac renitentiam invenire in fidelibus, quos illi subjecit Deus, & qui illum observare deberent, ejusque mandata facessere! Quam durum est Pastori non posse revocare in septa oves, quas super humeros suos gestare cupit? Quam durum Patri videre filios paternam deserere domum, ut in longinquam abeant regionem miseram ibi vitam ducturi? En quid perferendum fuit illi, qui per antonomasiam fuit Episcopus, Pastor, & Pater. *P. Candidus Chalippet in Oratione funebri Cardinalis de Mailly.*

Omnes actiones Sancti N. responderunt vocationi ejus.

Quemadmodum particularis Dei vocatio constituerat Sanctum N. in Cathedra Episcopali, ita vitæ suæ sanctitas sanctitati suæ Missionis respondit. Fuit virtutum omnium Episcopalium exemplum, iisque monasticæ professionis suæ virtutes adjecit. Elias erat zelo succensus, contra cultum Idolorum, qui in Patria sua dominabatur. Evertit illa & prædicationibus, & miraculis suis in Diœcesi sua, & in finitimis Provinciis. Nullum invenirem finem, si aggrederer omnia vobis exhibere prodigia, quæ operatus est, ut J. C. Fidem plantaret. Illuminavit cæcos, mutis vocis usum restituit, infectos lepra mundavit, suscitavit mortuos, liberavit energumenos, Idolorum templa suis orationibus evertit. Attamen sæpe Discipulis suis confessus est, se post Episcopatum pauciora edidisse miracula, quam ante. Sed actiones ministerii sui, quibus tanto cum lumine, & pietate perfungebatur, totidem erant miracula. Unus homo nequaquam par videbatur qui solus tot, tantaque operaretur. Itaque non erat solus; sed gratia Dei erat cum illo, & hæc ostendebat per illum potentiam suam in cor hominum. Nulla erant corda ita dura, quæ verba ejus non emollirent, vel ejus exempla non flecterent. *Idem elogium S. Martini.*

Zelus, & amor Sancti hujus Præsulis erga populos.

S. hic Antistes in zeli sui motibus acer adeo, & accensus, talis erat, qualis S. Augustinus nobis exhibet generosum S. Stephanum Diaconum. *Clamabat, & amabat. Sæviebat in illo Caritas. Sæviebat, & salvos fieri volebat. Non est victa caritas in eo.* paternum cor illud plenum erat lenitate, tunc etiam cum verba fulminum instar sæviebant. *Lingua ferox; cor leve.* Irascebantur homines eo quod respondere non possent sapientiæ, ac spiritui, qui per os suum loquebatur. Intus disrumpebantur, atque fremebant, donec tranquillitas animi naturalibus ejusdem gratiis cælestem adjiciens pulcritudinem efficiebat, ut os suum enitesceret ipsis videntibus tanquam facies Angeli, in qua nulla interiorum affectuum nubes dignoscitur. *Et intuentes eum ... viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli. P. Candidus Chalippe Recollectus in funere Card. de Mailly.*

Sanctus N. ægre spem reliquit, ut Episcopale solium ascenderet.

A puero Magnus hic Sanctus secessit in desertum ut baptismatis sui tueretur innocentiam, quam pluribus obsessam periculis videbat, si domi suæ maneret. Hic futurus erat plurimorum spiritualium filiorum pater; & Deus cum illo egit non secus ac cum Abraham, quem omnium credentium patrem cupiebat efficere. Illum igitur eduxit de patria, & de familia sua, ut habitaret non quidem terram alienigenam cum magnis opibus, sed ut viveret potius in tumulo, quam domo homini congrua. Ibi plures transegit annos in austeritate, quæ sine peculiari ope gratiæ Dei, ne ad paucos quidem dies ferri potuisset. Cum in eo totus esset, ut stadium suum absolveret, ac sese Deo sacrificaret per pœnitentiam, Angelus illum admonuit, ut egrederetur ex deserto, ac in urbem conferret se, ibi J. C. ovibus præficiendus. Visio hæc humilitati ejus suspicione non caruit; eamque repulit tanquam illusionem Dæmonis, educere illum quærentis de solitudine, & inspirantis illi desiderium Episcopatus, quo se indignum putabat. Credit Angelum tenebrarum se in Lucis Angelum convertisse, ut ex eo eliceret quamdam Episcopatus cupiditatem. Repetita visio illum inducere non potuit, ut specum relinqueret, ubi constituerat Tabernaculum suum, ibi mortem præstolaturus. Quo magis Episcopalem Cathedram considerabat, eo magis perhorrescebat, cognoscens illam undique septam periculis. Verum cum cæli nuntius tertio illi Dei explicuit imperium, tunc sibi parendum esse duxit. Reliquit igitur rupem suam non sine gemitibus, suspiriis, & lacrimis,

mis, ex quibus facile erat cognoscere, quam sibimet ipsi vim afferret. *Idem Elogium S. Amphilochii.*

Sancti Præsulis mors.

Sanctus hic Præsul incidit in morbum, cui tota Medicorum ars fuit inutilis. Preces nihil obtinuerunt; denique obiit; at imminuta ne fuit ejus gloria? Quænam est mortis ejus caussa? Jugis illius applicatio, vividique sensus Ecclesiæ caussa? En quid vitæ illius spatium succidit; quod saluberrimum temperamentum, ac robustissimum, diuturnissimum fore pollicebantur. Quomodo mortuus est? In lectulo honoris; arma tenens manibus: dicam potius palam. Non vivebat nisi per Jesum Christum, & propter Ecclesiam: *Mihi vivere Christus est.* Mors non fallebat illum, immo illi fores ad beatam immortalitatem aperiebat, & cum Apostolo dicere poterat; *Et mori lucrum.* Nostra erat, Auditores, jactura! heu, quæ jactura! thesauri, quem sæcula beatiora nobis inviderunt, & quem diutius nos possessuros esse sperabamus. Vobis vero peculiariter, erat jactura Pastoris suavissimi, qui summa vos caritate complectebatur, licet a nonnullis minus diligeretur, tanquam S. Paulus; & pro Ecclesia universa strenui propugnaculi, quod æque merebatur ac Judas Machabæus, ut clamaretur: *Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israel?* (1. Mach. 9.) *Oratio funebris Cardinalis de Mailly per P. Candidum Recollectum.*

Populus vi eduxit Sanctū nostrum de solitudine ut eum sibi in Episcopum deligeret, & quomodo ostenderit se dignum hoc munere.

Nuntium electionis Sancti nostri incussit illi terrores Mortis: primum quidem jejune respondit se uxorem duxisse solitudinem, & eam deserere non posse: hominem in sylvis innutritum aptum non esse vivendo in urbe magna: tantum gregem, quantus erat in illa Ecclesia, exposcere Pastorem, qui tantum experientia valeret, quantum robore. Sibi utrumque deesse, & cum nondum satis didicisset imperata facere, non ferendam esse ejus insaniam, si imperandi locum eripere vellet; Ad summum se nolle, ut illis gratificaretur objicere sese periculo incidendi in tentationem, & in laqueos diaboli. Rationibus preces adjecit, obtestationes, & lacrimas. Sed inutiles fuere, & vi extractus fuit ex cella adducendus in urbem, ubi populus excepit illum tanquam Angelum de Cælo dilapsum. Ordinatus fuit in Episcopum, & in ipso sui Episcopatus exordio palam innotuit eum vere a Deo vocatum fuisse. Applicitus fuerat navis gubernaculo, antequam remum attigisset; sed patuit illum esse Nautam eximium antequam remigio applicaretur. Fluctus, qui insurrexerunt in eum, non terruerunt illum. Illis opposuit animum satis firmum citra superbiam, zelumque ardentem citra pertinaciam. Retinuit semper in mensa, in cubili, in supellectili Monasticæ vitæ austeritatem. Eo quod conditionem mutaverat, minime censuit mores sibi esse immutandos, immo e contra totus in eo fuit ut illos puriores efficeret, atque innocentiores. Ex quo Episcopus factus est, cœpit agere pœnitentiam pro peccatis ovium: sentiebat mala, quibus illæ non afficiebantur. Donec illæ deglutiebant velut aquam, iniquitatem; hanc ipse lacrimarum suarum aquis eluebat. Gustabant illæ peccati voluptatem, gustabat ipse medicinæ amaritudinem. Severitas sua non reddebat hunc in ipso aditu morosiorem, ac difficiliorem. Hanc in se uno exercebat; in alios vero sancta utebatur indulgentia, qua infirmus erat cum infirmis, iisque facultatem faciebat omnes sibi suas infirmitates aperiendi. *Godeau in Elogio S. Eucherii in libro cui titulus: Episcoporum Elogia.*

Amor, quo S. hic Episcopus Regem suum prosequabatur cogebat illum ut inspiraret omnes virtutes dignas Rege.

Sanctus hic Episcopus perfecte conciliavit Dei, & Principis servitutem. In diœcesi sua omnia eximii Pastoris munera adimplevit. Nunquam visus fuit Antistes adeo pius, vigilans, sapiens, suavis, strenuus, & caritate refertus: neque aula unquam hominem vidit adeo constantem, & minime cupidum rebus in omnibus. Tenera dilectione Regem complectebatur, sed dilectione Episcopali, quæ illum sollicitum efficiebat cælestis potius, quam terrenæ magnitudinis. Inspirabat illi omnes Christiani Principis virtutes, & apud illum miseris omnibus favebat. Auctor erat illi, ut peccata sua redimeret eleemosynis, atque ad Regni dignitates attolleret, non eos quidem qui per ambitum illas quærebant, sed qui erant digniores. Arcebat a domo ipsius omnia mala, quæ illuc adrepere velle videbantur, eamque muneris sui auctoritatem religiosam efficere conabatur, prout loci natura, ac temporum conditio poterant pati. Communicato cum aliis Episcopis consilio, salutaria, ac severa statuit edicta in eos, qui Regis nomine bona Ecclesiastica usurpabant; & qui Principum gratia Episcopatum assequebantur. Hanc ascendendi viam semper abhorruit Ecclesia; Sed hominum ambitio non semper rationem sequitur. *Idem in Elogio S. Germani Parisiensis Episcopi.*

Licet Sanctus hic evectus esset ad Episcopalē dignitatem, semper servavit spiritum pœnitentiæ.

Ordinationis gratia invenit in hoc Sancto viro veterem hominem jam mortificatum; attamen non cessavit, quo minus ex eo novum hominem faceret. Effudit illa nova lumina in mentem illius, novoque igne voluntatem ejus accendit. Ex humili pœnitente strenuum, atque magnanimum Præsulem fecit. Nihil de primis austeritatibus dimisit. Eadem semper fuerunt ejus jejunia, eædem vigiliæ, iidem cubiles, potus, esca, quies. A domo sua ejiciebat quidquid superfluum erat, quidquid luxum, ac delicias sapere videbatur. Ad clerum suum, qui ab ipso repertus fuit abnormis, & exlex, prædicavit regimine vitæ suæ prorsus frugi, ac integerrimæ. Laici flagitiosis, ac perditis libidinibus perditi in actionibus ejus viderunt censuram libidinum, ac flagitiorum suorum. Hæc quidem conjuncta erat cum vi prædicationum suarum; sed sola licet illis terrorem, ruboremque injiciebat. Poterant quidem ejus eloquentiam violentiæ nomine redarguere, quasi fictitiis uteretur lenociniis ad trahendas eorum mentes, atque decipiendas. Sed nihil objicere poterant bonis ejusdem exemplis. Prodigi simul & avari in summa ejus erga pauperes largitate habebant documenta recti usus opum suarum. In hac erga egenos cura, nullum servabat modum. Amor ejus erga ipsum Ecclesiæ Caput nullis erat terminis circumscriptus, quomodo vero amor erga membra aliquos sibi poterat constituere? Usus est ille re adhuc integra suavitate correptionum, ut Ecclesiasticos flagitiosos ad officium revocaret. Sed ubi se nihil proficere sensit, ac se timidum haberi, vocarique audiit, omni usus est auctoritate, ut cogeret imperio. Neque reveritus est conditionis amplitudinem; neque illorum gratiam expavit in loco, ubi erat alienigena. Minas eorum contempsit, illos detrusit in carcerem, aliisque ademit beneficia, quibus abutebantur. *Idem in Elogio S. Norberti Magdeburgensis Episcopi.*

Sanctus N. domū suam regere incepit antequam regeret diœcesim.

Sanctus hic diœcesim suam reformaturus initium duxit a reformatione, ac regimine domus suæ, a modestia supellectilis suæ, a mensæ frugalitate, domesticorum verecundia, & pietatis exercitatione. Dici poterat, ejus vita jugis esse ad populum prædicatio. Profecto toto cælo potentior est, quam ipsa verbi prædicatio. Virtus in cor populorum ingreditur per oculos potius quam per aures. Fides eorum non magis ex auditu, quam visu pendet. Episcopus esse posset purus ad instar Angeli; si domestici ejus fuerint libidinosi, populo nunquam persuadebit pudicitiam, vel huic suspicio orietur, quod Præsul secreto indulgeat vitio, quod patitur in suis, vel illum palam insimulabit negligentiæ, & arguet in illo defectum caritatis, quam debet suis. Pravum exemplum illis loco erit vel legis, vel excusationis. Sancti nostri familia fuit Seminarium optimorum Sacerdotum, & Sanctorum Episcoporum. Ubi per omnem Italiam percrebuit fama disciplinæ, quæ illic servabatur, complures viri nobiles in eam admitti concupierunt, ut ad Ecclesiasticam pietatem se formarent. Ille potius Pater erat, quam Dominus. Cura, quam gerebat eorum, qui in inferiori familia censebantur, ne quid illis seu bene valentibus, sæu ægrotantibus deesset; amor, quo singulos complectebatur, lenitas, qua illos corrigebat, innocens erat illecebra, qua illos sibi lucrabatur, ut lucraretur Deo. Vita illius erat severissima. Extremis ejusdem annis pane tantum vescebatur, & potabat aquam, in paleis cubabat. Nunquam calefaciebat se, & modicum temporis spatium somno impendebat. Sed nolebat aliquem ex domesticis, licet Sacerdotio insignitum, hanc imitari austeritatem. *Godeau in Elogio S. Caroli Borromæi.*

Pastor superare debet oves suas virtute.

Pastor, qui regat oves, sanctior esse debet ovibus suis. Deus, optime inquit S. Gregorius Nazianzenus, voluit esse in Ecclesia ad quem pertineret gregem pascere, & alios esse, qui nati essent, ut pascerentur, ac se regi permitterent. Hoc ipsum præter propter in humano corpore deprehenditur. Homo partibus constat, quarum aliæ regere debent, aliæ regi, & quæ ordinem minime servant, nisi quatenus obediunt. Qui imperant, habita ratione illorum, qui obediunt, id sunt, quod anima ratione corporis. Sed ad imperium hoc satis digne exercendum, qualiter affectos esse nos decet? Illi solum, S. Gregorius ait, merentur primas in Ecclesia sedes habere, qui ceteris virtute præstant, qui facti sunt amici Dei, & qui cum illo arcta adeo necessitudine conjuncti sunt, ut dici queant adepti quamdam cum Deo speciem familiaritatis. *Sermo de vita Ecclesiastica D. Lambert. Tom. I.*

Vita solitaria Filii Dei simulque vita publica Sancti N. & Episcopalia ejusdem munera.

Dei Filius vitam duxit privatam, & vitam publicam; eam vero, ut sese hujus functionibus præpararet. Venerat enim in Mundum, ut homines sanctificaret. Per Sanctitatem suam, semetipsum in se collegerat, sed per caritatem egreditur ex se, ac se totum impendit pro humani generis salute. Hoc documentum est Episcopis, qui ad illius imitationem sese in Deo recipere debent, ut Sancti, sed qui curam impendere debent gregibus suis, ut Caritate referti. Sunt Soles diœcesum suarum. Non secus ac Sol conjungit in se calorem cum lumine, & non illi satis est coruscare, sed omnia vivificat: Ita illis satis non est omnium virtutum exempla præbere; effundant opus est suos influxus in gregem, pascant illum, nutriant, tueantur. Episcopalis gratia est gratia effusionis. Canticorum Sponsa dicit, Sponsi sui nomen esse thymiama effusum. Thymiama in se continere debet odorem bonum; sed retenere illum non debet, exhalet opus est, & sese effundat in omnes locos, qui illum debent recipere. Beatus N. erat vas pretiosum vitali hoc odore repletum; eumque statim in omnem diœcesim effudit. Ministri Evangelii, S. Augustinus ait, sunt veluti montes, qui pacem recipiunt: videlicet divinam illustrationem, ut colles, qui sunt populi, recipiant justitiam. Hi sunt rivi, illi autem fons; & si non diffluunt, rei sunt sterilitatis animarum, quæ nisi irrigentur, nihil producere possunt. Ita prima Sancti hujus Nostri Præsulis cura fuit illuminare, & expiare Sacerdotes suæ diœcesis. *Idem, in elogio S. Francisci Salesii.*

Pastores enitescere debent virtutis suæ præstantia super ceteros.

S. Ambrosius perspicue, ac pathetice explicat necessitatem in qua versantur Pastores enitendi inter fideles ceteros virtutum suarum præstantia. Incipit autem proponens exemplum veterum Philosophorum, & ait primis illis Sapientibus hanc fuisse opinionem, videlicet, opus esse, ut illi super alios attollerent se virtutum praxi. Putat autem S. Ambrosius, philosophos hos mutuatos fuisse nobiles hujusmodi sensus ex Sanctorum Codicum lectione. Ibi observatur, populum substitisse ad montis radicem, Sacerdotes ad montis hujus verticem evasisse: & Moysem solum in nubem ingressum fuisse. Distin-

stinctio adeo belle connotata accuratius est observanda; videlicet, necesse est, ut Pastores semoti sint a populo. Quomodo semoti? Per vitæ sanctitatem, per agendi regularitatem, per morum gravitatem. Pastoris dignitas pondus est; hæc ingentes injicit obligationes. Qui illa insignitus est, sibimet diligentissime invigilare debet, & efficere, ut vitæ suæ sanctitas respondeat celsitudini suæ dignitatis. Quomodo populus non revereatur Pastorem, in quo nihil nanciscitur, quod observantiam, ac obsequium non mereatur? *Lambert. Tomo 3.*

Dei Filius nihil intentatum relinquit, ut revocet oves suas deerrantes.

Divinus Salvator nihil inausum, atque intentatum relinquit, ut omnes deerrantes oves suas revocet. Ille ipse eas quærit, ut cogat. Vult illas in meliora deducere pascua; ego illas requiescere faciam, inquit ille. Ecce quo pacto Pastor bonus agit cum ovibus suis, quæ jam perierant, & ad quas perquirendas ipse descendit. Non utitur ille minis, neque acribus correptionibus exprobrat illis errorem. Lenitas, clementia, gaudium eo quod eas revocaverit, suadent illi agendi modum longe officiosiorem. Relevat eas, quæ ceciderant, imponit eas humeris suis, ut illis ambulandi laborem auferat, alligat vulnera earum, quæ sauciatæ fuerant. Quis pater magis tener, quis Pastor sollicitior? Quis medicus ad miserationem propensior? Peccator post hæc, quantumlibet deerraverit, quantumvis nocens fuerit; potestne non confidere in tanta talis Salvatoris misericordia? Sed debet ne ille aures obstruere voci adeo boni Pastoris? Debet in erroribus suis occallescere? debet detrectare reditum in septa post tot a Deo benevolas invitationes, sollicitationes, ac impetus gratiæ? Si Dei bonitas erga populum certo incomprehensibilis est, nunquid facilius comprehendi potest nequitia, & impia pertinacia peccatoris, suam conversionem differenti? *P. Croiset in Asceticis. Tomo 1.*

Lenitas, & severitas pastoris, vel directoris habent singulæ illusiones suas.

Lenitas habet illusiones suas æque ac severitas; in animarum regimine sæpe pro effectu caritatis desumitur id, quod re ipsa est affectio prorsus humana. Superior Confessarius, non potest tantum habere caritatis, quantum satis sit erga illos, quos curis ejusdem Providentia commisit: sed sua erga illos benevolentia nunquam illum impellere potest, ut divinis obluctetur consiliis, ut eorum interpellet, ac perturbet sacrificia, & christianæ mortificationis usum interdicat. Prohibendus est etiam, & cohibendus pœnitentis zelus, cujus austeritates corporales sunt immodicæ, & palam adversantur valetudini, quæ ad alia munera obeunda est necessaria: quod vero spectat ad mortificationem mere interiorem, deferendus est interiori Spiritus Sancti consilio, & inflammandus ad illecebras gratiæ sequendas. Mortificatio, quæ affligit carnem, aliquando modum potest excedere; nonnunquam ergo est coercenda: quæ autem crucifigit mentem, & cor, nunquam nimis procedere potest. Vana igitur miseratio est ejus, qui illi terminos velit præscribere. *Moralis novi Testamenti P. Neuville tomo 4.*

Vis, & robur Sancti Præsulis in Ecclesiæ decisionibus sustinendis.

Satis admirari non possumus Sanctum hunc gravissimos labores subeuntem ad ea sustinenda, quæ in Conciliis statuit Ecclesia. Quinam Sancti hujus Episcopi mœror videntis turpes artes, quibus utebantur hæretici ad fucum erroribus suis allinendum? Cor illius dolore conficitur, cum intuetur progressus hæreseos, & victorias quas referebat. Magna quidem illius constantia fuit inter veritatis hostes, in ipsis ædibus Cæsaris errori patrocinantis sese offerre, adversarios provocare, & admirabili vi caussam suam perorare. Sanctus hic, licet solus, timetur a multitudine adversariorum. Hi non audent oblatum inire certamen. Calumnia, consueta eorum arma qui suam sentiunt imbecillitatem, adhibetur, ut in Patriam dimittatur, ubi pro meritis exceptus fuit ille, qui adeo generose pugnaverat ob tuendam veram fidem, atque, ut S. Gregorii Nazianzeni verbi utar, cuntumelia, quam illi studuerunt inferre inimici, in majorem cessit illius laudem, quam gloria universa ab eodem relata. *Idem.*

Curæ Pastoris erga gregem assiduæ esse debent, & ingentes.

Pastoris sollicitudo nullis finibus continetur, & sicut Deus nihil majus ei credere potuit qum animarum sanctificationem; mirum non est, si ab ea requirat ingentes curas, quæ modum superare videantur: & ne ille oscitetur, ne incidat in negligentiam, ac sibi præscribat fines, peculiares sibi leges irroget, ac sibi in quadam complaceat mediocritate, quæ minime decet hominem, cui tanta hæc provincia demandata est; Deus profitetur, se omia velle ab eo, quæcumque facere potest; & opus est, ut laboret, vigilet, oret, gemat, corrigat, corripiat, moneat; quandoquidem illi dixit Deus, illum nunquam perfuncturum munere suo, nisi nihil inausum, atque intentatum reliquerit, ut medeatur malis fratrum suorum, eosque in officio contineat. *Ex Regula S. Benedicti. Tomo 2.*

Pastor nunquam præsumere potest se coram Deo justificatum esse, nisi omnia sua obierit officia.

Nefas est Pastorem sibi præsumere se jam in aliquo Tribunali in quo omnia ad unguem diligenti indagine perquisita sunt, jam justificatum fuisse: sed quisnam est, Auditores, qui facit quodcumque potest, qui adhibet quidquid habet virtutis, fortitudinis, ac potentiæ sine ulla exceptione? & quisnam sincere dicere potest; feci, quod potui: & in hoc nihil mihi sum conscius? Ut quis hoc dicat, opus est, ut Superior nihil videat in doctrina sua, & documentis, quæ tradidit, quod abhorreat a puritate regularum, & se eorum omnem veritatem, atque latitudinem earum expressisse; opus est, ut fratres illius in ejusdem actionibus nihil deprehenderint, quod ipsos non ædificaverit, vel quod ejusdem monita, ac hortamenta in suspicionem revocare potuerit. Opus est ut sedula sit illius vigilantia, ut omni tempore testis esse potuerit vitæ eorum, & apud eos sibi conciliare obedientiam amoris per ea, quæ ipsis tradidit caritatis erga illos suæ monumenta. *Ibidem.*

Vivendi ratio non nullorum Pastorum, qui dedecorant sanctitatem characteris sui per negligentiam.

Populus in Pastore non videt nisi modicum virtutis; immo in eo gravia deprehendit vitia. Hic Pastoris character contemnitur. Si populus est nocens, Pastor est multo nocentior. Si sanctissimum ex omnibus characteribus in persona illius dedecore afficitur, succenseat ille sibi, suæ negligentiæ, & morum suorum intemperantiæ. Pastor igitur supra ceteros virtutum suarum fulgore debet enitescere. Pastor seipsum exprobrare debet, cum in grege aliquem invenit diligentiorem se, majori zelo succensum, magisque suis officiis intentum. Pastor, qui alios excitare deberet, opus habet, ut ipse excitetur. Donec Pastor languet in mollitie homo rusticus, simplex femina zeli sui fervore in parœcia pietatis spiritum fovebit. Hoccine est præire gregi, quomodo necessario Pastor tenetur? Tantum abest, quod talis Pastor aliis præcedat, ut vere dici possit, tunc in oculis Dei esse novissimum omnium. Nihil igitur est characteris titulo primum esse, nisi primus sit virtute. Quo magis vos vester attollit character, eo magis vosmet dedecore afficitis, cum ordinis vestri dignitatem nitenti, bonisque operibus repleto vivendi genere non sustinetis. *Lambert. Tomo 1.*

Satis non debet esse Pastori bonum exemplum præbere, opus est etiam ut verbo populos erudiat.

Si Pastor ageret solum, & redigeret sollicitudinem suam ad simplicem actionem, seque dispensaret a verbi prædicatione; exemplum aliquid effert nimis jejunum; actio sola non sufficeret; possent quidem illud sequi, & imitari nonnulli mortales duri, vel crassiores. Sed ægre, & vix sibi conciliaret fidem eorum, quibus acrior est spiritus, lumen, & intellectus; & nisi illis ostenderet facti sui rationem, bonum, atque utilitatem, quam illa producere potest, præsertim vero cum agitur de viis remotioribus ab usu communi, & oppositis omnibus naturæ propensionibus, non consequetur unquam, ut illam amplectantur in iis, quæ sensibus repugnant; quæ communi consuetudini, sensibus omnibus, omnibusque humanis affectionibus adversantur: Ad id autem aut validissimis rationibus opus est, aut miraculis. S. Bernardus vult etiam ut verbum accedat voci exempli; videlicet, ut hæ duæ dispositiones simul occurrant in Pastore, sibique manu mutuo præbeant. Nullus, ait ille, ordo est aut speciosior, aut utilior, quam ut primus tu geras onus aliis a te imponendum. Exemplum quod per actionem præbes, documentum est vivum, & efficax, & haud ægre persuades mihi, quod doces, ubi ex operibus tuis video fieri posse, quod jubes. *Ex Regula S. Benedicti Tomo 1.*

Quænam sit temeritas Pastoris abutentis potestate quam illi contulit Deus?

Non est ulla temeritas par temeritati Pastoris abutentis potestate, & jure, quod illi contulit Deus loquendi de justitiis suis, ubi negligit opere implere illa, quæ docet. Hoc est Dei veritates polluere; hoc est ostendere, illas contemni; hoc est illis omnem abrogare fidem apud eos, quibus illas audes prædicare: hoc est ansam præbere Deo aliquando dicendi: *Serve nequam, de ore tuo te judico.* (*Luc.19.22.*) Illud vero terribilius, & quod Superiores vix animadvertunt, est, quod illi non sui tantum sceleris pœnas dabunt, sed illas etiam quas meritæ fuerunt omnes animæ, quibus illi locum, caussamque præbuerint interitus. Quid respondebitis, dicit Spiritus Sanctus Pastoribus per Prophetam, cum grex vester insurget in vos, & exprobraverit vobis, eo quod illas in perniciem vestram edocueritis? *Ibidem.*

Quid faciendum Pastori, ut præservet animas a malis omnibus, impendentibus sibi?

Quid facere potest Pastor zelotes, & fidelis gloriæ Domini sui; vel potius quid illi faciendum non est, ut præservet has animas ab omnibus malis, quæ illis impendent? Quam invenire potest requiem, ubi illas jamjam videt perituras? Nonne oportet, ut indesinenter invigilet, ut dies noctesque impendat, ut incessanter laboret, ut exhauriat quidquid virtutis, spiritus, rationis, lacrimarum habet; ut occurrat, & avertat quidquid illis nociturum est? Et si tanto afficitur dolore, quanto debet, cum Apostolo dicat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* (*2.Cor.11.v.19.*) Sentiet ille non solum eorum morbos physicos, & reales: sed eos etiam, qui illis accidere possunt, quasi si jam adessent: Denique si oculi ejus indesinenter invigilaverint his animabus, quarum illi cura concredita fuit, sibi semper illa applicabit verba, quæ dicta fuerunt a Principe Pastorum: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* (*Psalm.120.*) Addam etiam pauca, Auditores, vobisque dicam; S. Benedicto magnam fuisse caussam loquendi de hoc munere, tanquam de re molesta, & laboribus plena; nam opus est, ut Pastor proprie loquendo sit famulus tot capitum quot illi subjecta sunt: nemo enim est, a quo minime pendeat, & cui peculiarem aliquem famulatum non debeat. *Idem.*

Quodnam sit ministerium Pastorum, & eorum officia?

Pastores illi sunt, quorum ministerium est regere populum Dei, quales sunt Episcopi, & sub illis curati, aliique superiores, quibus animarum cura demandata est Doctores illi sunt, qui docent, & explicant veritates Religionis: Apostolus hic Doctores cum Pastoribus jungit: nam licet aliquis esse valeat Doctor, qui Pastor non sit; nemo Pastor esse debet quin sit simul & Doctor; quandoquidem præcipuum Pastoris officium est gregem suum edocere. S. Paulus alibi perspicue ait, opus esse, ut Episcopus sit etiam Doctor: & hortatur Timotheum discipulum suum, quem Cretæ constituerat Antistitem ut invigilet sibi, & doceat alios, atque in id fortiter, & constanter operam collocet. Omnes hæ diversæ gra-

gratiæ, quas Jesus Christus communicavit secundum mensuram, quæ ipsi placuit, illis, quos suos ministros in Ecclesia constituit, non illis tantum datæ sunt propter se, verum etiam propter alias. Omnes laborent, opus est, singuli pro modulo suo, ut perfectas reddant animas, quæ ipsis creditæ sunt, & hoc pacto construant Corpus Jesu Christi, formantes partes omnes, ex quibus constare debet. Naturale corpus fit, atque perficitur formatione, & perfectione omnium membrorum illius. Ecclesia corpus est spirituale Jesu Christi; fideles omnes illius membra sunt. Apostoli, Prædicatores, Pastores efformant hæc membra convertentes homines vel ad fidem, vel ad meliorem frugem; illos autem perficiunt docendo, sustinendo, confirmando: & ut verbo me expediam, adducendo eos ad Sanctitatis, & perfectionis statum, ad quem illos Deus destinavit. *Annus Christianus. Tomo 6.*

PRO COMMUNI CONFESSORUM EREMITARUM.

MONITUM.

DUO in Ecclesia fuere genera eorum, qui in solitudinibus vixere in ipsis primis Christianæ Religionis initiis percelebres: quorum primi Anachoretæ, vel Eremitæ vixere in sylvis ab omni hominum consuetudine semoti, quales fuerunt Antonii, Hilariones, Pauli, aliique id genus plurimi, qui Ægypti, Palæstinæ, ac Thebaidis deserta frequentarunt &c. Alteri vero quibus inditum est nomen Cœnobitarum incolentes non procul ab oppidis vixere sub obedientia Abbatis, & religiosam sociabilemque vitam duxerunt: sed procul ab hominum consuetudine, ut vacarent contemplationi, & mutuo sese ad serviendum Deo animarent; terrenis rebus parum adeo occupati perinde ac in remotissimis desertis habitarent.

Ecclesia quamplurimos habuit duplicis hujus generis Eremitas, qui sublimem astruxerunt conceptum Religionis Christianæ, & sensibilia argumenta sanctitatis vitæ illius, quam profitetur. Satis est consulere quid S. Hieronymus, S. Joannes Chrysostomus, Cassianus, aliique Patres scripserunt de utroque genere vitæ, ut liqueat, nunquam rerum copiam deesse posse illi, qui aggressus est scribere elogium alicuius ex his Sanctis singillatim. Operæ tamen pretium est animadvertere, si pauci sunt, quorum celebratur Elogium, ac festus dies recolatur in tota Ecclesia, prope infinitos esse, qui sese per solitudinem sanctificare inceperunt; & qui illius amorem, atque desiderium servarunt; cum inde fuerunt edocti, ut populo subvenirent, sicut S. Bernardus, S. Franciscus Paulanus, & alii, qui post vitam propalam actam, quam tumultuosam vocaverunt, illuc reversi sunt. In hisce collectaneis hoc nobis proposuimus, præter ea quæ in hoc argumentum collegimus Tomo quarto Bibliothecæ Moralis titulo de solitudine, ex quo uberrima depromi potest rerum copia ad Sancti alicujus Solitarii Panegyricum elucubrandum.

PRO COMMUNI CONFESSORUM,

Eremitarum.

Quomodo auctus est numerus imitatorum vitæ abscónditæ Salvatoris?

PRimis Ecclesiæ sæculis visi sunt imitatores vitæ absconditæ Salvatoris. Numerus deinceps auctus est decursu temporum propter persecutiones, quibus fideles in deserta loca fugam capessere cogebantur. Illic sapientes hi profugi fiebant Sancti Anachoretæ; & antra, in quibus delitescebant, fuerunt tamquam prima Religiosorum cœnobia. Sed cum ibi sese martyrio prepararent & carnifices illuc sæpe ventitarent, ut avulsos a solitudine reperent ad supplicium, non poterant coalescere: quod deinceps factum est, neque vitæ monasticæ eam formam tribuere, quæ subsequentibus sæculis inolevit. Tunc Ecclesia pacata vidit filios suos agere triumphum de sæculi voluptatibus per victricem fugam Tyrannorum horum blandientium, atque adulantium, qui crudelibus, barbarisque Tyrannis successerunt; atque tunc deserta, ubi videbantur undique vestigia gloriosorum Jesu Christi Confessorum, qui illa incoluerant, frequentia facta sunt Eremitis, qui coeuntes in corpora sub probatis capitibus, exactissimis observatoribus disciplinæ regularis, non minus profuerunt ad fidem extendendam per exempla pietatis, quam Martyres ad eam confirmandam per zelum suum, atque constantiam. *Ex Specimine Panegyricorum Tomo 1.*

Idea, quam nobis formare debemus absolutissimi Eremitæ.

Fingite vobis animo imaginem Eremitæ omnibus virtutibus cumulatissimi; vobismet exhibete virum, ne levissimis quidem cupiditatis impressionibus obnoxium, nullis superbiæ sensibus pervium, nullis voluptatum illiciis flectendum, ab omni avaritiæ labe immunem, nullis iracundiæ subitis motibus perturbandum, & acutissimis calumniæ jaculis invium. Fingite vobis spiritum semper tranquillum inter contemplationis delicias, vel semper in caritatis officiis vigilantem, cor divisum inter raptus amoris sui in Deum, & motus zeli sui in proximum: corpus indefessæ caritatis instrumentum aut jugis pœnitentiæ victima: oculos omnibus sæculi pompis clausos; os divinis laudibus semper apertum, manus semper ad opem miseris ferendam paratas, visum calcantem pedibus mundum devictum, carnem subactam, illusos dæmones. Considerate illum medium in Sanctorum manu ad idem exemplar efformatorum. Imagini vitæ prorsus sanctæ accedat imago mortis Angelicæ, quam comitatæ, & secutæ sunt omnes circumstantiæ, quæ reddere possunt hominis memoriam omnibus sæculis venerabilem: hæc tabula est Sancti N. perfectusque Eremitarum prototypus. *Specimen Panegyricorum Tomo 1.*

Societas, & solitudo licet oppositæ inter se, singulæ suum habent meritum.

Utrum societas sit solitudini præferenda, an solitudo societati, difficile judicium est. Solitudo quidem est comes innocentiæ, schola pietatis, theatrum in quo Deus maxima operatus est miracula; hic secernit a mundo hominem, cum illum vult reddere illustrem; & ex hoc loco, unde omnis abest rumor, educit Moysem, qui regat populum suum; Eliam per quem puniat inimicos suos, & Joannem Baptistam, qui prædicet pœnitentiam, & peccato bellum indicat. Inde tandem eduxit Unigenitum suum, cum illum tradere voluit cognoscendum mundo, & notas facere in Judæa virtutes ejus, atque miracula. Sed quascumque laudes solitudini tribuamus, fatendum est societatem magis esse naturalem, utilem, & acceptam hominibus. Magis naturalis est, quia homo natus est, ut cum hominibus conversetur, & verbum illi datum est, ut cum aliis ineat necessitudinem. Utilior est, parit enim abundantiam, & securitatem inter homines, ab illis prohibet terræ sterilitatem per laborem, & ferarum vim mutuis auxiliis. Est etiam hominibus gratior, quoniam constituit maximam vitæ nostræ suavitatem, ac sola omnibus malis nostris remedia suppeditat. Si enim rudes sumus, erudit; si infirmi, confirmat; si mœrore confecti, consolatur; & nobis ea reparat bona, quæcumque per scelus amiseramus. Quapropter qui societatem deserunt, ut in solitudinem se conjiciant, vel admodum generosi sunt, vel admodum temerarii; nihil enim horrentius est, quam hujus deserta; nihil tristius silentio, nihil terribilius paupertate. Neminem habet cum quo colloquatur, neminem, qui recreet, neminem, qui consoletur. Antra quæ illi homines auferunt, non alios iisdem comites parat, quam Tygrides, & quacumque spe solitudo Eremitas alliciat, eos frequentius dæmonum persecutioni, quam Angelorum objicit consolationi. *Ex Panegyricis Sanctorum Pater Senault, Tomo 1.*

Vita quam in eremo ducunt Solitarii.

Verum est dicere nostrum Eremitam nullam in deserto habuisse consolationem. Sibi inhabitandum terræ centrum delegit: ibi nonnisi tabidum aerem reciprocat, nonnisi serpentes videt, non audit nisi bubones, & virtus ejus omnibus abscondita testes non habet nisi Angelos, qui, non secus ac homines, illius obliti fuisse videntur. In desertis vero filios genuit; his vitam dedit, cum mortuus est mundo; & Eremita hic, qui non erat amplius homo, factus est Pater illustris posteritatis. Si in solitudine sua adeo præclaram nactus est societatem, in humilitate sua non minorem honorem assecutus est. *Idem.*

Omnes mundi vanitates contemnit.

Sanctus N. ab infantia omnem mundi gloriam superavit; nuntium misit honoribus, ex quo voluptates, atque divitias contempsit, delituit in solitudine, ut ignotus esset omnibus mortalibus; & in desertum concessit gloriam evitaturus, quæ a virtute separari non potest. Noluit in solitudine sua aliquem familiarem; sed nequidquam mundum fallere conatus est. Sua illum prodidit virtus, sua illum merita detexerunt; & cælum in universam terram hujus Eremitæ gloriam evulgavit. Quilibet videre voluit Solitarium hunc, qui fugiebat mundum, Anachoretam hunc, cui non alius erat secessus, nisi specus ferarum, viventem hunc sepultum cum mortuis, hunc Jonam, qui non triduo submersus fuerat in abyssis maris, sed qui annos complures in visceribus terræ delituerat. Omnes deserti illius Echo unum dumtaxat illius nomen iterabant, & nonnisi de virtutibus ejus loquebantur, & populi ex proximis urbibus egressi sese conferebant in solitudinem, ut testes essent miraculorum illius. *Idem.*

De zelo, ac regulari vita Sancti.

Sancti Eremitæ summo veritatis amori adjiciebant vitæ optime institutæ, ac perfectissimæ nitorem. Postquam sese re-